

per se, omnipotentis naturæ aut essentia esse fingebant. Vnde duo infert Lutherus, neque humanitatem, SICVTI divinitatem esse omnipotentis naturæ: neque peculiarem aliquam habere omnipotentiam ab omnipotentia filij Dei diversam. Evincit hoc totius citati loci οὐδέτερον. 3.

Crimen ergò falsi inest interpretationi Iesuitica.

35. Sed Eutychianismo favisse Lutherum blaterat idem, tum quòd in part. 2. libri de Concilijs, divinitatem passam esse, affirmavit: tum quòd dicendum esse statuerit: Hic homo Christus, hæc caro & sanguis condidit cælum & terram Tom. 7. Ien. p. 250. & p. 252.

36. In priore allegato Lutheri, scelus committit Iesuita: Quæ enim ex Adversariorum sententia, qui hanc opinionem ipsi sed falsò affinxerant, recitat Lutherus, ea pro rabie Esavvica, Lutherum sic κατηγορικῶς docuisse grunnit Iesuita: cùm vel luce meridiana clarius constet, eâdem fermè periodo, pagina certè eâdem, Lutherum disertè contrarium fateri, nempe Divinitatem pati nullo modo posse, licet rectè credatur, non nudum hominem, sed filium Dei pro nobis passum.

37. In posterioris loci citatione Spiritum vertiginis prodit Iesuita: Verba Lutheri sic habent: Hic homo Christus: hæc caro & sanguis condidit cælum & terram, devicit mortem,

tem,